DISSERTATIO H

DE

CHRISTI AD A

EPISTO

QVAM

SVB MODER

VIRI SVMME REVERENI

ATQVE DOCTI

IOANNIS SALOMO

S.S. THEOL. DOCTOR., EIVSDEMQVE

IN ACADEMIA FRID

SEMINARII REGII THEO

FAVTORIS ATQVE

PIE COLEN

AD D. MAI

DEFENDE

AVCTO

IOANNES ESAIAS CHR

ASCANIA HALB

HALAE MAGDEBVRGICAE LIT

TIO HISTORICA

DE

AD ABGARVM

STOLA

QVAM

DERAMINE

ERENDI, AMPLISSIMI

DOCTISSIMI,

OMONIS SEMLER

SDEMQVE PROF. PVBL. ORDINARII,

MIA FRIDERICIANA

II THEOL. DIRECTORIS,

QVE PRAECEPTORIS

COLENDI

MAII MDCCLIX.

EFENDET

C T O R

S CHRISTIANVS HEINE

A HALBERSTAD.

CAE LITTERIS HENDELIANIS.

2900
546
9

ILLVSTRISSIMO

COMITI A BORCK

MODERATORI DIGNISSIMO

PRINCIPIS IVVENTVTIS

FRIDERICI WILHELMI

HAEREDIS BORVSSORVM REGNI ET ELECTO-
RATVS BRANDENBVRGICI ETC.

COHORTIS EQVITVM GRAVIORIS ARMATVRAE PRAEFECTO
DOMINO IN LASSEHNE ETC.

FAVTORI MAXIMO

HAS SVORVM LABORVM PRIMITIAS,

EA QVA DECET

ANIMI SVBMISSIONE

SACRAS ESSE IVBET,

IOANNES ESAIAS CHRISTIANVS HEINE.

§. I.

Finis obtinendi cauſſa adhiberi ſaepius ab hominibus adiumenta parum aut honeſta, aut licita: omnis aeui oſtendit rerum inter homines geſtarum hiſtoria. Inde iam antiquitus non inter Iudaeos tantum, ſed etiam inter Chriſtianos fuere, qui vt rebus ſuis conſulerent, fabricare libros inſcriptos nominibus celeberrimorum virorum, auſi ſunt; vt auctoritate eiusmodi nominis, ſuſtentarent ſuam ſententiam propoſitumque conſequerentur conſilium. Idem illud agentes Chriſtiani, forſan legere veſtigia a purioribus ſacris alienorum, quorum nonnulli, vt fidem faciunt *Auguſtinus* & *Hieronymus*, circumferebant ſcripta, quae Chriſti nomine erant inſignia, aut alius cuiusdam maximi viri, quae impunius adhiberentur ad oppugnandas immutandasque veritates purioris religionis. Eorum in numerum referri debent Epiſtola, ſeu libri epiſtolari titulo praenotati, Chriſti ad Petrum & Paulum, vt Chriſtus in Magiae ſocietatem ad-

legeretur, & non pauca alia scripta, quorum mentionem faciunt primi Ecclesiae Christianae doctores. Eo autem minus abhorrebant Christiani ab eiusmodi artibus, earumque fide, quia iam primis Ecclesiae temporibus ille inuenustus error se commendabat: omnia ea adiumenta, quibus ad religionem promouendam vti possis, esse licita atque honesta. Inde & nomen celeberrimum, piae fraudes, qua ex officina tot libri in lucem prodiere, splendidis Christi Apostolorumque nominibus fulgentes; inde & Sibyllarum, si placent, carmina, quae luculenta continebant vaticinia rebus Christianorum accommodata. Ratio enim disputandi, & in verum inquirendi eo tempore suscepta, facile patiebatur atque alebat haecce figmenta: argumenta enim ab auctoritate desumta, praecipuum habebant pondus. Inde & patres eruditionis ceterum laude isto tempore celeberrimi, parum cauti fuere in hocce negotio. Quis ergo temeritatis accusabit eos, qui patrum non sunt assentatores, nec omnia ab iis prolata, aut probata, tanquam ex tripode dicta hodie suspiciunt. Pertractabit & haec dissertatio nostra, argumentum nimiae multorum credendi facilitatis; quod vt sat clarum reddi possit, eius statim suppeditabimus historiam, vti vulgo narrari solet.

§. II.

Abgarus a) *Vchomo* seu Niger, Edessae, quae vrbs sita est, in septentrionali parte Mesopotamiae, erat Rex. Edessa

a) Nomen Abgarus commune fuit, Regibus *Edessae*, & adhibebatur eodem modo, quo Aegypti incolae, nomen *Pharaonum* dabant regibus suis. Diuersimode scribitur *Abgarus*; alii scribunt Ἄγβαρος, alii Ἄκβαρος, alii Αὔγαρος. Numismata iubent nos scribere Abgarus. Vid. *Ezech. Spanheim* de

Edessa scribitur etiam Edissa, apud quosdam latinos. Hoc priscum Romaeum, seu Romanum nomen, mutauit cum nomine *Errboe*, Roha, quo inter arabes geographos celebratur; quae aut pars est graeci nominis καλλιῤῥόη, a fonte vt *Plinius* superaddit, aut antiquius ipsum Syriacum nomen. Praeter notiores vrbium & geographiae interpretes, adeundus est index *Alb. Schultens* ad *Bohadini Saladinum* vocabulo Edessa, & Erroumum. In ea olim 300 monasteria fuisse dicuntur, quod est argumentum amplissimae quondam vrbis, & religione, ab hac partim Epistola, partim Christi imagine, impletae. Multo plura & non vbiuis obuia collegit *Theoph. Sigfr. Beyer* in histor. Osrh. libr. 1. p. 1–4. quae excusa est Petropoli 1734. 4. Inter ea, quae de Rege isto nobis referunt Historici, inprimis notari meretur, quae ad instaurandam, & exornandam aedificiis Edessam suscepit; auxit vrbem fanis, delubris simulacrisque Deorum. Id agens *Abgarus* vt vrbem, sedem regni sui in florentissimo constitueret statu, fama accepit Arseuirum Regem Parthiae esse mortuum, tresque illius filios magna de imperio alere dissidia. Quae vt sua componeret auctoritate, in Parthiam proficiscebatur: euentus respondebat Abgari votis. Graui autem contracto morbo, Edessam re-

de vsu & praestantia Numismatum, & disp. *Frauendorfii* contra Caueum de hac Christi Epistola §. 6. De cognomine Vchomo conferatur *Bayeri* histor. Osrhoena libr. 3. pag. 95. Exstitit iam Ruffini tempore, licet deprauatum, *Vchaniae filius*, itaque vel ex hoc nomine, quod *nigrum* significat, & hunc *Abgarum* ab aliis distinguit, patet: parum certo credi, ex *antiquis* archiuis istas Epistolas esse; cum sint saeculo 4to ortae ex veteris historiae male intellectis monumentis. Neque enim *Vchamae* filius, sed Vchomo cognominatus fuit hic rex.

dire cogitur. *Eusebium*, iuuat dixisse, morbum fuisse δεινὸν καὶ οὐ θέραπευτον. Nempe vt locus miraculo postea esset, morbi insanabile ingenium narratur. Alii clarius determinant morbum, existimantes, aut podagra, aut lepra etiam nigra eum laborasse, id *Procopius* de bello Persico II. hoc Cedrenus narrat, hocque opinandi forsan occasionem nomen *Vchomo* dedit. Qui Abgari valetudinem in integrum restituere potuisset, frustra quaerebatur. Tandem inaudiebat doloribus plane oppressus Abgarus, esse in Iudaea virum, vi sanandi instructum humana sorte maiori. Dici quidem nequit certo, qua ratione fama miraculorum Christi ad eum peruenerit; ingens enim est dissensus historicorum, & *Eusebius* nihil adfert vnde colligi illud facile possit; sunt tamen alii qui repererunt: Ananiam legatum Abgari, ad Proc. Syriae missum, vt Abgari in Parthiam excusaret iter; hunc venisse Hierosolymam, (haud scio an Proconsulem ibi visitaturum;) Christique ibi vidisse miracula, quae in gratiam tot aegrotorum faciebat. Alii e contrario putant, Ananiam ex Egypto venientem Hierosolymae Christum vidisse fuisseque auctorem Abgaro, quaerendi a Christo auxilii; Abgarumque hocce legato adductum misisse ad Christum, quas hic inuenit lector, litteras; quas vtrasque *Eusebius* ex Archiuis desumtas esse dicit, lib. I. histor. ecclesf. c. 13. ὄδεν δε οἷον καὶ αὐτων ἐπακȣσαι των ἐπιςολων ἀπο των ἀρχείων ἡμιν ἀναληφθεισων, καὶ τονδε αὐτοις ῥημασιν ἐκ της Συρων φωνης μεταβληθεισων τον τροπον. Nempe incertum est, num dicat *Eusebius*, se interpretem ex Syriaco esse, quod alii vtique hinc efficere volunt, quos inter etiam *Beyerus* est; *Fabricius* autem in codice Apoc. N. Test. p. 317, non credit; nec nos affirmemus.

§. III.

§. III.

Ἄβγαρος τοπάρχης Ἐδέσσης Ἰησοῦ Σωτῆρι ἀγαθῷ ἀναφανέντι ἐν τόπῳ Ἱεροσολύμων, χαίρειν· ἤκουσαί μοι τὰ περὶ σοῦ καὶ τῶν σῶν ἰαμάτων, ὡς ἄνευ φαρμάκων καὶ βοτανῶν ὑπὸ σου γινομένων. ὡς γὰρ λόγος, τυφλοὺς ἀναβλέπειν ποιεῖς, χωλοὺς περιπατεῖν καὶ λεπροὺς καθαρίζεις, καὶ ἀκάθαρτα πνεύματα, καὶ δαιμόνας ἐκβάλλεις, καὶ τοὺς εν μακρονοσίᾳ βασανιζομένους θεραπεύεις καὶ νεκροὺς ἐγείρεις· καὶ ταῦτα πάντα ἀκούσας περί σοῦ, κατὰ νοῦν ἐθέμην τὸ ἕτερον τῶν δύο, ἢ ὅτι σὺ εἶ ὁ Θεός, καὶ καταβὰς ἀπό τοῦ οὐρανοῦ ποιεῖς ταῦτα. ἢ υἱὸς εἶ τοῦ Θεοῦ ποιῶν ταῦτα. Διὰ τοῦτο τοίνυν γράψας ἐδεήθην σοῦ σκυλῆναι πρός με καὶ τὸ πάθος ὃ ἔχω, θεραπεῦσαι. καὶ γὰρ ἤκουσα, ὅτι καὶ Ἰουδαῖοι καταγογγύζουσί σου, καὶ βούλονται κακῶσαί σε. πολις δε μικροτάτη μοι ἐστὶ καὶ σεμνή, ἥτις ἐξαρκεῖ ἀμφοτέροις.

§. IV.

Iam lubet adiicere litteras Christi ad Abgarum: Ἄβγαρε, μακάριος εἶ πιστεύσας ἐν ἐμοί, μὴ ἑωρακώς με· γέγραπται γάρ περὶ ἐμοῦ, τοὺς ἑωρακότάς με μὴ πιστεύσειν μοι, ἵνα οἱ μὴ ἑωρακότες αὐτοὶ πιστεύσωσι καὶ ζήσονται. Περὶ δέ οὗ ἔγραψάς μοι ἐλθεῖν πρὸς σὲ, δεόν ἐστὶ πάντα, δι' ἃ ἀπεστάλην ἐνταῦθα πληρῶσαι με, καὶ μετὰ τὸ πληρῶσαι οὕτως ἀναληφθῆναι πρὸς τὸν ἀποστείλαντα με. καὶ ἐπειδὰν ἀναληφθῶ, ἀποστελῶ σοι, τινά τῶν μαθητῶν μου, ἵνα ἰάσηταί σου τὸ πάθος καὶ ζωὴν σοί καὶ τοῖς συν σοί παράσχηται. Additur] in *Constantino*, *Cedreno*, etiam in arabico exemplo Ludouici de Dieu cura edito, aduersus hanc vrbem hostes nullos valere vnquam posse; quod iam Procopius suo tempore reiecit, vt antiquis historiis ignotum. Narrat etiam *Cedrenus* de siglis septem adiectis Epistolae.

§. V.

Hisce Epistolis, adiectam inuenisse se dicit *Eusebius* in monumentis Edessenis narrationem eorum, quae Edessae fecit *Thaddaeus*, hunc enim tradunt a Christo eo missum fuisse; imo nomen eius in epistola iam expressum legebat *Cedrenus*, & ex eo quidam alii libri habent. Huius narrationis auctor refert; post Christi in coelum ascensum, a Thoma alias Iudas vocato, missum esse ad Abgarum, Thaddaeum, qui fuit ex numero LXX. Christi discipulorum: Edessam veniens Thaddaeus diuertit apud Tobiam, Tobiae filium, miraculisque, vt fertur, bene multis perpetratis, impleuit vrbem admiratione eorum quae fecerat. Accepit statim Abgarus, aduenisse fugantem morbos diuina virtute statimque in suspicionem est adductus, huncce a Christo esse missum; Ad regem vocatus Tobias confirmabat ea quae Abgarus iam fama acceperat. Itaque coram videre voluit Abgarus, Thaddaeum; & mandato Abgari morem gerens Thaddaeus, venit ad eum. Rex circumseptus procerum turba, in Thaddaei intrantis vultu, nescio quem fulgorem vidit; ideoque aliter fieri non poterat, quam vt se prosterneret ad pedes Thaddaei Abgarus, illum adorans. Fulgorem illum, non videntes proceres, attoniti adstabant. Quibus ita factis Thaddaeum interrogabat Abgarus numne sit ille Christi discipulus quem exspectaret: sum vero respondebat Thaddaeus, eum in finem a Christo missus vt tibi, tuisque vitam darem, quia fidem in Christum habuisti, quod si magis magisque in eum credideris, fient omnia prouti fidem habebis. Fides Abgari in Christum erat eximia, verba quibus eam ipse delineat, adducamus „ὄυτως ἐπίστευσα, ἐν ἀυτῷ, ὡς καὶ τοὺς Ιουδαιόυς τοὺς σταυρώσαντας αυτὸν, βουληθῆναι δύναμιν παραλαβὼν κατακόψαι,

nisi

nisi quidem Romanorum imperium me a proposito dimouisset. Quae cum ita essent non poterat non Thaddaeus, regi imponere manus, vt a morbo liberaretur. Cognoscendi cupiditas, qua vi Christus miracula perpetrauerit, hocce Thaddaei facto excitabatur, interrogauit igitur huncce legatum Christi de eius ratione atque conditione. Huic Regis mandato, vt satisfaceret Thaddaeus, promisit narrare rationem atque conditionem Christi legationis; *αὔριον δε ἐκκλησίασόν μοι τοὺς πολίτας σου παντας καὶ επ' αὐτῶν κηρύξω τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ* — — deinde *καὶ περὶ τῆς Αποστολῆς αὐτοῦ, καὶ ἕνεκα τίνος ἀπεσαλη καὶ περὶ τῆς δυνάμεως τῶν ἔργων αὐτοῦ — — καὶ περὶ τῆς καινῆς αὐτοῦ κηρύξεως*, „ Haecce Thaddaei concio vberrimos tulit fructus; tota vrbs derelicto idolorum cultu, transiit ad eos, qui Christum venerantur mediatorem generis humani.

§. VI.

Haecce Epistolis iuncta acta; eadem, qua litterae, exarata sunt lingua. Si ergo in illis inueniri possunt, quae sapiunt fraudem, ea omnia adhiberi a nobis iure possunt ad labefactandam eorum opinionem, qui genuinas esse, existimant hasce Epistolas. Si recte & vere ita se habent quae *Eusebius* narrat, quod in medio adhuc relinquimus; Abgarus Vchomo in monumenta referri Edessena, ipse curauit, litteras Christi, & delineationem eorum quae Edessae fecit Thaddaeus. Ergo nihil contineatur in ista narratione necesse est, quod ob ineptam rationem iustam excitare possit suspicionem *b*).

§. VII.

b) Quod notandum esse existimamus ob Caueum, qui vt declinet argumenta ex actis contra Epistolam, desumpta; sic pronuntiat in Histor. Scr. Ecclesiasticor. *Epistola & acta* *Edes-*

§. VII.

Sancti scriptores, Patres omnes, qui ante *Eusebium* vixere, silentio praetereunt hasce Epistolas. Omnium primus est *Eusebius*, qui de iis quicquam nobis refert; quippe qui ex monumentis Edessae publicis, Syriaco sermone conscriptas, illas accepit. Ex Syriaco in Graecum illas transtulit, vti videri potest, lib. 1. cap. 13. Qui post *Eusebium* vixere, saepius quidem loquuntur de hisce Epistolis, tamquam de re certa, sed ita, vt non facile sit arbitratu, num praeter *Eusebium* inspexerint & ipsi Edessena monumenta, si qua superfuerunt; cum vero eximie varient, & multi alia noua addant, necesse est: aut *Eusebium* non diligenter scripsisse, istis actis vsum; aut hos posteros acta nulla vidisse; aut alia acta interea conficta esse; qua de re plura postea dicentur. Quod diximus ante *Eusebium* nullam occurrere mentionem, confirmamus isto Origenis testimonio claro libr. 5. Contra Celsum p. 361. edit. de la Rue. similiter etiam scribit *Hieronymus* in Ezech. 45, 29. Vnde & saluator nullum volumen doctrinae suae proprium reliquit &c. vid. Obseruatio Benedict. ad istum locum; sic habet etiam saepe *Augustinus*.

§. VIII.

Perlustremus iam Abgari Epistolam; titulum adhibet ad Christum scribens: Igitur ex Syriaco, & ad verbum haec translata est Epistola? Syri enim titulum & πρεσωπον τηλαυγες epistolis praefigunt? Graeculi id olim opinati sunt, qui

Edessena mihi igitur non pari nituntur authoritate; Acta enim post Christi demum ascensum confecta sunt, idque forsan a notariis, qui rem quam auditu acceperant parum accurate intelligebant, saltim facile hallucinari poterant„; quod quam sit imbelle atque ineptum, facile patet.

qui has fingebant, quia Syriacam epistolam nec hanc, nec aliam oculis suis viderant.

§. IX.

Qui hancce scripsit epistolam, legisse videtur Matthaei Euangelium; ordinem enim narrationis ipsius Matth. 10. 5. studiose seruauit; Euangelista habet „Τυφλοὶ ἀναβλέπουσι, καὶ χωλοὶ περιπατοῦσι, λεπροὶ καθαρίζονται, καὶ κωφοὶ ἀκούουσι, νεκροὶ ἐγείρονται,„ cfr. verba epistolae„ Τυφλοὺς ἀναβλέπειν ποιεῖς, χωλοὺς,„ &c. Itaque eo tempore haec confecta sunt quo Matthaei Euangelium iam in concionibus publicis personabat.

§. X.

Rerum Abgari ignarus fuit quicunque hanc finxit Epistolam, putauit Edessam solam & vnam *Abgaro* vrbem fuisse; de regno *Armenico* impostor nihil fando audierat; aliter non tam inuenuste finxisset. Saeculo 3, & 4. Christiano Edessa μικροτάτη dici poterat.

§. XI.

Iam nos ad sententiam de Christi Ep. ferendam accedimus; *Primum* argumentum, quod vti nos quidem existimamus, clarum reddit, Christo non tribuendam esse hancce Epistolam, desumptum est ex ipsa hacce Epistola. Initio Epistolae dicitur: μάκαριος εἶ πιστεύσας ἐν ἐμοὶ Ἄβγαρε: sua idem illud confirmat auctoritate Thaddaeus, qui sic Abgarum alloquitur: quia *credidisti* in Christum ad te sum missus; sique magis magisque in eum credideris, fient omnia prouti fidem habebis. Hisce verbis nulla alia tribuenda est potestas, quam: illum a Christo, & Christi caussa omnem suam futuram exspectare felicitatem, quod videre est ex eo, dum Abgarum, hancce ob fidem beatum praedicat Christus. Qua autem ratione, de Abgaro praedicari potest fides,

 quae

quae aeternam parat felicitatem hominibus, eosque reddit beatos? Ignorantia omnium veritatum laborabat Abgarus, quae ad fidem sunt necessariae; si omnia damus, miratur, stupet ingentia facta & miracula noua, sed *cuius rei* caussa tanta adiumenta adhibeantur, ignorauit. Sciat necesse est, qui a Christo & Christi caussa suam salutem exspectat, veritates, quas de hominum salute tradit propior Dei reuelatio; sciat quam ob rem huncce in mundum missus est ille Iesus; sciat hominum tam miseram esse conditionem vt mediatore opus sit: Sciat denique Iesum esse promissum nobis a Deo seruatorem; eiusmodi autem cognitio, ab Abgaro sane longissime abest, & nullo iure ei potest tribui. Est igitur graeculi leuis oratio, πιστευειν statim tribuentis erecto ob res nouas homini, & Iesum in numero θαυματεργων olim celebratorum collocanti, sine cogitatione rerum ἠθικων, tantum abest vt diuinitus reuelatarum. Audiamus acta, quae dictorum fidem faciunt. Interrogat demum Thaddaeum de Christi aduentu, qualis fuerit, qua vi atque virtute, tot & tanta perpetrauerit miracula. Clarius illud adhuc redditur ex Thaddaei responsione; hic, docebo Te, inquit, nouam quam tradidit doctrinam; explicabo Tibi rationem atque conditionem Christi legationis. Haecce omnia satis superque ostendunt, a tali cognitione quae ad fidem requiritur, Abgarum hoc adhuc tempore, diu post *laudatam fidem*, fuisse adhuc alienissimum. Ergo a Christo non est scripta illa Epistola; quae Abgari fidem iam praedicat.

§. XII.

Quae de Abgaro nobis seruauit historia, magis confirmant allata. Religionis praecepta, a teneris vnguiculis didicerat Abgarus, quae abducunt a veri Dei cultu.

Omnes

Omnes Edessae incolae diuinum praestabant honorem stellis, Lunae, Soli cui templum exstruxere, cuius crebram faciant mentionem historici. Num cogitari potest, alia quam auita religione imbutum fuisse Abgarum? studium quo ferebatur erga cultum Deorum, demonstrauit, dum fana, simulacra Deorum exstrui curauit, ad promouendam superstitionem; vid. *Mosen* Chorenens. Nullam ad Christum scribens, de eo habebat cognitionem, quam quae vulgari famae de eiusdem miraculis debebat originem, ex his autem, ignarus aliarum veritatum reuelatarum, efficere & scire nequit, Christum esse hominum seruatorem. Fama est, inquit, in epistola sua, coecis visum, claudisque gressum a Te restitui indeque sic in animum meum induxi aut Te ipsum Deum esse, aut Dei filium. Igitur clarissimum est fere nullam Abgarum habuisse de Christi consilio atque instituto cognitionem; nisi opinemur, istos omnes, qui de Christo fama aliquid inaudierunt, quod maxime & vnice pertinebat ad externa mira facta, simul scire ea omnia aut praecipua, quae Christi veram prouinciam, ignobilem fere Iudaeis adeo atque minus probabilem. Nicodemus, Iudaeos inter magister, ignorabat, quae ipse Iesus eum docebat, de noua & spirituali generatione, cuius instaurandae caussa hic Iesus venerat. Cur autem Abgarus, si res ita gesta erat, non statim tum ablegat & mittit Hierosolymam, qui de rerum Iesu statu & conditione, quam primum Abgarum faciat certiorem; qui exspectet & abducat promissum discipulum? Hoc autem decebat eum, qui fide & fiducia in Christum nitebatur; Abgarus enim epistolam eiusque argumentum omne, necesse est, vt obliuioni tradiderit interea; tandem non meditato superuenit Thaddaeus. Magna fides! & digna μακαρισμῷ, si placet!

 §. XIII.

§. XIII.

II. Sed eorum, quae commodum oppugnauimus, rationem quasi adfert auctor Epistolae, prouocans ad locum quendam (Veteris Testamenti haud dubie, nam Noui Testam. viuo Christo nihil exstabat) quem nec diligentissimus librorum scrutator hucusque inuenire potuit. Quotquot opinioni, quae Christum facit auctorem huius Epistolae bene cupiunt; illi omnes nesciunt vbi hic refugium inueniant amatae sententiae. Habetur autem in *Ioannis* Euangelio locus, vbi beati praedicantur, qui Christum non viderunt & tamen credunt: & quid est, quod verosimilius excogitari possit, quam respexisse ineptum & inuenustum auctorem Epistolae ad huncce locum; nihil cogitantem, fabulam se & ludum facere, qui Christum talia scribere repraesentet, quae diu post demum conscripta sunt. Ergo Christus non est auctor Epistolae, quia prouocasset ad Scriptum quod tunc temporis, nondum erat in vulgus editum.

Prouocant nonnulli ad Cap. 6. Iesaiae, existimantes, ibi plane similem locum inueniri; quod tamen aliter se habet; ibi non dicitur, qui Christum videbunt, non credent, vt illi, qui Christum non viderunt, credant habeantque vitam aeternam. Deinde ad locum similem non prouocat Christus, sed ad talem, qui continet hocce effatum. Vid. Annotationes ad *Euseb.* Hist. Eccles. Edit. *Reading.* add. *Natalem Alexandr.* & *du Pinium.* Alii e contrario putant, γεγραπται respicere ad communem Prophetarum vocem. Omnibus hisce autem parum sibi, suaeque opinioni consulunt aduersarii nostri, quotiescunque Christus vtitur voce γεγραπται toties respicit ad singularem quemdam librorum Sacrorum nobilem, & inuentu facilem locum & nunquam ad communem vocem Prophetarum.

§. XIV.

§. XIV.

Sit autem ita; locum eum haberi in scriptis veteris Testamenti; nihilominus repugnat, locus iste, opinioni aduersariorum nostrorum. Christus enim ad rationem prouocasset, quae obscurior erat Abgaro, quam ea, quae inde deducere vult. Quae nobis de Abgaro seruauit historia, fidem faciunt non adeo diligentem eum fuisse lectorem scripturae sacrae; potius, eum plane V. T. ignorasse, deque eius auctoritate cognouisse nihil. Si enim illud perlegisset, alium plane conceptum habuisset de rebus Iudaeorum, & consilia non cepisset, de eorum interitu accelerando. Denique, quam ob rem non determinat Christus accuratius, vbi locus ille inueniatur? post Abgarum innumeri sane, qui diuturna nocturnaque manu versant scripta sacra, frustra quaesiuere huncce locum: inde persuasum mihi habeo, nec Abgarum eum vllibi inuenisse.

§. XV.

Ad plane alium denique scripsit hic impostor, qui Christi nomine abutitur, quam ad verum Abgarum. Adhibet Christus, dum prouocat ad scripta V. Testamenti, formulam γεγραπται: quilibet Iudaeus cognoscebat hoc nomen & omen sacrae scripturae; vnde autem Abgarus iste sciuit, quid sibi hoc vellet? *Scriptum est:* sed notissima erant Abgaro, non scripta Iudaeorum, sed fabularum & historiarum diuinitus iactata inter ethnicos monumenta. Ergo Abgarus misisset ad collectores & antistites *Oraculorum*, minime vero sciuit, Iudaeorum scripta oracula.

§. XVI.

Tandem finem scribendi facit Christus: perficiam ea, ob quae missus sum, reuertar deinde ad eum, qui me misit. Haecce non possunt non esse mysteria Abgaro; qui

nullam plane cognitionem habebat rationis, ob quam missus erat Christus in mundum, nec eius, a quo erat missus. Rem nostram agunt quae dicta sunt in antecedentibus. Alia plane scripsisset Christus ad Abgarum, si esset auctor huius Epistolae: condocuisset eum potius veritates primas, quae necessariae sunt, ad hominum felicitatem: scripturae sacrae a Iudaeis custoditae lectionem ei commendasset &c. Verbo: qui naso vtitur, facile reperiet hic impostorem satis inuenuste & imperite mentientem.

§. XVII.

Acta, quae hisce litteris adiecta sunt, plura suppeditant argumenta contra hasce Epistolas. Narrant nobis Thaddaeum a Thoma ad Abgarum esse missum, vt persolueret ea, quae Abgaro Christus promiserat; & is sanauit etiam Abgarum, eosque, quicum eo erant; imo ad Christum duxit omnes vrbis Edessae incolas. Contrarium eorum, quae de legatione Thaddaei narrantur, adseri posse existimo; quo probato concludere licet, falsam etiam esse Epistolam. Christus enim fidem non liberasset: quod cogitari nequit. Thaddaei profectio ad Abgarum, non consignata est, in scriptis diuinis, & eis inprimis monumentis, quae, a Luca exarata, seruant nobis memoriam eorum, quae ab Apostolis, & legatis Christi facta sunt, ad amplificandam Ecclesiam. Narrant nobis missionem Philippi; missionem Petri ad Cornelium, & longam nobis reddunt relationem eorum, quae dicta ibi sunt a Petro; quae narratio si ad Thaddaei legationem referatur prouti *Eusebius* illam hic describit; sane nullius est momenti. Num vero dici potest Lucam officia boni Scriptoris neglexisse? quem ea inprimis narrare oportet, quae maioris sunt momenti.

Eo minus concipi potest hocce Scriptorum sacrorum Silentium, quo felicior fuit itineris exitus. Primo enim a morbo liberauit Abgarum Regem, Thaddaeus, & bene multos alios. Edesseni hisce miraculis adducti, nuntium misere idolorum cultui, suntque primi eorum qui derelinquentes superstitionem & paganismum, Christo nomen dedere. Porro Thaddaeus Apostolorum primus fuit, qui inter paganos construxit Christo ecclesiam. Maius adhuc pondus dictis additur; si respicimus ad Ecclesiam Hierosolymitanam, quae sane exigua adhuc erat. Nihilominus multa referunt de ea nobis Scriptores sacri. Ne cogitare quidem licet, sacros scriptores silentio praeteriisse eiusmodi factum.

§. XVIII.

Contradicunt praeterea, quae de Thaddaeo & Abgaro referunt acta Edessena Apostolorum Actis: Quae ibi refert Lucas fidem faciunt Cornelium primum esse paganorum, qui ab Apostolis in ciuitatem Christianam est allectus; quod patet ex sermone Petri, ad Cornelium, ad quem diuino mandato impulsus venerat: Scilicet circumseptus multitudine hominum, qui ad verbum Dei audiendum apud Cornelium conuenerant, cognitum vobis est, ὡς ἀθέμιτόν ἐστιν ἀνδρὶ Ἰουδαίῳ κολλᾶσθαι ἢ προσέρχεσθαι ἀλλοφύλῳ Actor. cap. 10. v. 28. Qua ratione dicere potuisset ἀθέμιτον esse hominem Iudaeum, negotium habere cum alienigena, si iam eo tempore Apostolus quidam venisset ad alienos a veri Dei cultu, eisque annuntiasset Euangelium? Clarius redditur quod adserimus, ex visione Petri quam habuit; per quam a Deo responsum accepit, homines cunctos ad Deum pari ratione censeri. Iam vero plures annos, antecedunt ea, quae de Thaddaei legatione narrantur, hocce Petri iter. *Eusebius* inquit statim post Christi in coelum adscensum Thaddaeum esse missum ad Abgarum,

garum, omnesque qui Christo tribuunt hancce Epistolam in eo consentiunt. Ergo repugnant, quae de Thaddaei legatione narrantur, sermoni Petri; qui certe cognouisset, si Thaddaeus venisset ad Abgarum.

§. XIX.

Nec conuenit haecce narratio cum ratione agendi Christi, qui semper sibi constat, atque obseruat rationem maxime similem eandemque suarum actionum; quo in adflictos ferebatur amor maximus erat sine dubio, & impediebat eum, quo minus, ad longum tempus retraheret recte expetitum auxilium. Deinde eam etiam ob caussam statim, sine mora, succurrebat iis, qui morbis vexabantur, vt ne dubitarent de vi, qua erat instructus, quaeque sufficiebat ad maxima peragenda miracula. Et quae est ratio, qua adductus Christus contra omnem suam consuetudinem, Abgaro longo demum tempore post auxilium praestiterit? Concipi sane nequit Christum illud per legatum promittere Abgaro, quod aliis ex tempore praestabat. Et Thaddaei ratio agendi, diuersissima etiam est ab ea, quam Apostoli seruabant; Edessam Abgari caussa missus, ne quidem de sanando Abgaro cogitare videtur; alios sanat, vrbem fama implet miraculorum suorum, nec nisi inuitatus ad Abgarum venit. Num haecce conciliari possunt cum amore & diligenti studio, quo feruntur veri Christi Apostoli in administranda prouincia?

§. XX.

Vocatur denique in actis, *Iudas*. Nusquam inuenimus Thomam, Iudam esse cognominatum. Negari quidem nequit inter Iudaeos fuisse receptum, vnum hominem plura habere nomina; de Thoma autem illud, non, nisi occupando rem ipsam potest; quotiescunque enim scri-

ſcriptura ſacra eius mentionem facit, toties Thomas, aut Didymus vocatur.

§. XXI.

Quae autem de animo Abgari erga Iudaeos narrantur, certe ſic ſunt conſtituta, vt ne quidem veroſimilitudo fictionis ſit obſeruata ab auctore. Conſilia ceperat Abgarus de euertendis Iudaeis: metu tantummodo Romanorum, alium induit animum. Nempe nullam plane cognitionem rerum Iudaeorum habuerit oportet; aut ſtultus omnino fuit: Populi, qui Abgari poteſtati ſuberant, haud ſane iſto robore valebant, vt ſuſtinuerint, cum Iudaeis ſibi rem & cauſſam optare; vt in ſpem venire potuerint, fore vt ad internecionem deleant Iudaeos: qui ingenti rerum omnium hominumque copia & vi, geſtisque fortiter bellis gloriam ſibi acquiſiuerant, quae erat maxima.

§. XXII.

Habetur praeterea in Abgaro tributa Epiſtola, quod facile oſtendit, natales illius eſſe quaerendos in cerebro hominis, qui vixit iſto tempore, quo *Ariana* controuerſia iam orta fuit: opponitur ibi Deo Chriſtus, *filius Dei*, quod oſtendit auctorem imbutum fuiſſe Arianorum opinionibus, qui υἱον Θεῶ, τῳ Θεῷ vt minorem opponebant. Acta etiam tempus ſerius probare videntur; referunt: fulgore ſplenduiſſe Thaddaeum venientem ad Abgarum. Dubio caret hocce ſapere tempus, quo *ſancti* homines, quorum nomen celebre erat in Eccleſia a magnitudine rerum geſtarum, luce & nimbo circumdati fingebantur. Initio enim 4. ſaeculi, nec minus ad finem iam properante ſaeculo tertio, erigebantur ſtatuae in honorem ſanctorum, & ſimulacra eorum, ingenio pictorum polita, & exornata circumferebantur. Inde non mirum, ſi ſcriptores, qui ab eo tempore vixere, tam multa

loquuntur de splendore Apostolorum & magnorum hominum externo lumine.

§. XXIII.

Tandem dicitur in actis „facta haec sunt anno 340. scilicet a Thaddaeo, qui est annus, quo Edessam venit Thaddaeus: proxime enim antecedit narratio eorum, quae Edessae peracta a Thaddaeo fuerunt. Habent nonnulli codices Τεσσαρακοστῷ καὶ τρίτῳ ἔτει quam lectionem tamen falsam declarant bene multi codices, Vaticanus, Mazarinus, & nonnulli alii vid. *Vales.* in notis, ad huncce locum *Eusebii*, & *Beyerus*, p. 111. Adhibuit autem auctor aeram *Seleucidarum*, quae Edessae erat in vsu. Iam vero anno 309, Edessenorum natus est Christus, quod probat omnis Syrorum scriptorum familia: & *Assemannus* Tom. I. biblioth. orient. Vatic. & *Beyerus* loc. cit. p. 110. seq. bene multis illud ostendit exemplis. Subtrahantur iam rationes, & tunc clarum erit, annum itineris Thaddaei cadere in annum Christi 31. quo Christus nondum confecerat ea, ob quae peragenda erat missus in mundum. Et nihilominus acta referunt, post Christi in coelum adscensum, extra Iudeam haecce omnia esse facta. Ergo hoc capite iterum labefactant ipsa acta, integritatem litterarum.

§. XXIV.

Ad alia progrediamur argumenta externa. Qui res gestas memoriae mandare volunt, in id intendant vires necesse est, vt pro ratione scopi perfectam reddant numerisque omnibus absolutam historiam, quam componunt. Huic officio, non nisi enumeratione factorum quae memoria sunt digna prae aliis, satisfacere possunt scriptores. Narrent igitur necesse est quae maioris sunt ponderis, post positis eis, quae tanti non sunt aestimanda. Quotiescun-

que

cunque igitur a scriptoribus, qui rite res suas pertractant, quoddam factum, cuius cognitionem habere deberent, si accidisset vnquam; quodque maioris est momenti quam multa alia quae narrant, omittitur: toties concludere licet, eiusmodi factum falsum esse, certe, maxime incertum. Qui facta nobis narrant Christi & Apostolorum sacri scriptores, numquam migrant hocce officium; e contrario, quo maioris momenti factum est, eo lubentius illud narrant. In illos enim non cadit, quod de multis aliis dici debet, qui ob rationes parum iustas & laudabiles, boni Scriptoris migrant officia. Si igitur scriptores sacri, factum quod est maximi momenti, quod scire prae aliis potuissent, silentio praetereunt, illud factum in fabulis est numerandum. Iam probabimus subsumptionem.

1) Epistolae, aut scripti quis fuerit auctor, est res facta, cuius iusta certaque cognitio, repetenda est, ex scriptis eorum, quibus facti cognoscendi data praecipue fuit potestas. Ergo & Epistolae Christi & Abgari.

Ergo corruit argumentum Cauei pro defensione Epistolae Christi, qui scribit: Nullum in toto textu νοθεύσεως vestigium„ effatum hocce quod falsum est, vti in antecedentibus clarum redditum est, ex hoc etiam capite nihili est habendum. Hist. Cauei litteraria Scriptor. Eccles. p. 2.

2) Maximum trahit momentum haecce Epistola: partim, quia Christo hominum seruatori deberet originem; partim quia data est ad Regem, qui ex *Eusebii* narratione, paullo post Christo dedit nomen, quique relicto idolorum cultu, vna cum suis transiit ad Christi castra. Magnitudo grauis Epistolae clarior redditur, si respicimus ad ea, quae de confabulatione Christi dicuntur

cum muliere Samaritana; quippe quae in comparatione ad hancce Epistolam minoris sunt habenda.

3) Scriptores sacri silentio praetereunt hancce Epistolam; qui optime scire potuissent, num Christus vnquam scripserit Epistolam.

Euangelistae, ne verbum quidem dicunt de illa Epistola. Non solum autem qui vitam Christi scripsere, sed etiam Patres primi Saeculi, & omnes qui ante Eusebium vixere, silentio praetereunt hasce litteras. *Polycarpus*, *Iustinus* Martyr, *Papias*, *Clemens* Romanus, cuius silentium inprimis notari meretur, quia in scriptis suis multa adfert a Christo dicta, quae non habentur in sacris scriptis: exempli caussa dixit Christos ad discipulos suos: Eritis velut agni, in medio luporum. Respondens Petrus dicit: Si ergo lupi agnos discerpserint? Dixit Iesus Petro: Ne timeant agni post mortem suam lupos &c. Vid. *Grabe* pag. 13. spicileg. Patrum, qui plura ibi adfert loca desumta, ex scriptis *Clementis* Romani & aliorum patrum. *Papiae* silentium non minoris est momenti, qui id sibi sumpsit, vt narret & recenseat in scriptis suis, quae a Christo facta & dicta non referuntur in scriptis sacris. Inprimis V. libros explicationum, huic Scopo destinauit; Nihil autem hicce etiam de commercio litterarum inter Christum & Abgarum ad nos tradidit. Deperdita quidem sunt eius scripta, nihilominus permagna fragmenta adhuc supersunt, quae inter haud dubie haec res tamquam memoratu dignissima, celebrata fuisset. Porro, si in illis quae deperdita sunt, scriptis, quicquam dixisset de hisce Epistolis; non adeo incognitae fuissent cunctis ante Eusebium, patribus. Origenes data occasione iniiciendae earum mentionis ne verbum quidem dicit; potius habet in libro contra Celsum p. 361. edit. de *la Rue*

hunc-

hunccce locum: Ἰησου του ἡμετερου διδασκαλου μηδεν περι εαυτου συγγραμμα καταλελοιποτος ἀλλ᾽ υπο των μαθητων ἐν τοις Ευαγγελοις μημαρτυρουμενου. Ex hisce omnibus fluit nostra sententia, redditurque certissima.

Adhibent nonnulli locum *Augustini*, qui inuenitur, *de consensu Euangelistarum* Lib. I. cap. 7. quod ipse Dominus nihil scripserit, vt aliis necesse sit credere; vt eo ostendant, suppositam esse Christo tributam Epistolam. Vt mihi quidem videtur locus ille nihil aliud probat, quam a Christo non integrum doctrinae quasi Systema esse conscriptum, de eo enim in contextu loquitur. Est autem satis certum, hic Augustino praecipuam fuisse occasionem, nisi laudandae, tamen non contemnendae, & nihili ducendae huius Epistolae, si vnquam de ea quid inaudiuisset. Addat. *Grabe* in Spicil. Patr. p. 4.

Sic corruit sententia eorum qui existimant, argumentum contra hancce Epistolam, a silentio desumptum Sc. S. & patrum, tanti non esse habendum. *Caueus* Hist. litt. p. 2. existimat, bene multa a Christo esse peracta, quae non referunt sacri scriptores. Recte se habent quae *Caue* profert; nos autem non summatim concludimus: Scriptor. sacri praetereunt silentio hancce Epistolam E. a Christo non est scripta. Nostrum argumentum innititur officiis historici, & grauitate rei. Est vero *Launoio* & aliis auctoribus, & magna auctoritas argumenti negatiui; nisi ineptissimis posteriorum fabulis locum vltro dare velimus.

§. XXV.

Hocce argumentum a silentio patrum desumptum maius adhuc accipit robur, si tempus respicimus, quo innotuere illae Epistolae. Erat eo tempore magnus, & in dies crescebat hominum audacissimorum numerus, qui scripta claris nominibus & auctoribus supponere parum sibi religioni ducebant: quod rerum in Ecclesia gestarum

monumenta confirmant. Alimenta huic hominum male feriatorum audaciae dedit, modus disputandi a Christianis receptus; diiudicabant scilicet veritatem, & dogmata religionis, pro conditione & multitudine adseclarum & testium: quo ergo plures nomen dederant Christo, eo grauius argumentum se habere credebant, pro veritate religionis Christianae. Piae fraudes non erant illicitae eo tempore. Num ergo, a verosimilitudine vltro recedimus, si existimamus, forsan, & hanc Epistolam eum in finem esse inuentam, eoque magis vrgemus obiectionem a silentio desumptam? Non prouocabimus hic ad decretum *Concilii I. Romani* „ fertur, *Gelasius* Antistes tum Romanae ecclesiae, hocce in Concilio bene multa scripta exornata nominibus maximorum virorum, examini subiecisse, & litteras hasce apocryphas declarasse. Omnes quidem, qui genuina declarant decreta ista hic inueniunt, quod infringit opinionem eorum, qui Christo tribuunt hasce Epistolas. Dum autem multi, decreta illius concilii supposita certe hic ibi immutata esse contendunt, & quidem non sine omni verosimilitudine; sufficit nobis adfirmare, eiusmodi quid sub *Gelasio* omnino esse factum, (licet in *Ruffini* histor. ecclesiastica istae Epistolae a latinis legerentur;) maioremque cautionem circa hasce Epistolas esse adhibendam, quia iam inde a longo tempore, in suppositis scriptis sunt numeratae, quod fama de isto Concilio probat.

§. XXVI.

Quam ob rem vero in Canonem N. Testam non est recepta haec Epistola Christi? si consideramus diligentiam primorum Eccesiae doctorum, qui nihil prius habuere, nihilque antiquius conseruatione, atque collectione scriptorum

ptorum sacrorum; certe concipi nequit, quam ob rationem scriptum, quod suo iure primum locum teneret inter scripta Nou. Testamenti, in Canonem non retulerint? Ioannes praeterea canonem librorum N. Testamenti collegit; saltim magna cum veritatis specie id a multis adseritur; quem adeo fugere non potuit, si Christus ad Abgarum hanc misisset Epistolam: itaque eam in Canonem profecto recepisset. Si vero Canonem non collegit Ioannes, sed qui post eum vixere patres; tunc ea etiam, quae de Ioanne sunt dicta locum habent, si non esset figmentum sequentis aetatis Epistola, eam cognouissent Patres; & num hi a se impetrare potuissent, qui non minus, quam Ioannes in oculis ferebant, quae Christi dicta & facta erant, vt a Canone excluderent hancce Epistolam? Alia omnia potius ab eis sunt exspectanda quam eiusmodi contemtus: quia profecto nemo omnino sciebat, Christum hoc sine θεοπνευςια scripsisse, & hanc epistolam futuris seculis inutilem esse.

Sicque infringitur, quod *Tillemontius* obiicit: existimat, per viam ordinariam, per quam reliqua scripta sacra Ecclesia accepit, hancce Epistolam non venisse: adeo fieri non potuisse, vt in monumenta insereretur haecce Epistola. Haecce omnia augent potius difficultates, quam vt eas minuant; qui codicem sacrum N. Test. composuere, accipere illam potuissent, per viam tutissimam; vixere eo tempore, quo dubium esse non potuisset; num literae Christi essent genuinae, nec ne. Et quod de monumentis adfert Tillemontius confirmat sententiam nostram; si monumenta subiestae sunt fidei, quis est, qui hodie ob eorum auctoritatem tribuet Christo hanc Epistolam? *Tillemont* Memoires pour seruir a l'histoire Eccles. Tom. I. p. 362. Ibi inquit: Cette difficulté est assurement très considerable. Il semble neanmoins qu'on y peut satisfaire en disant, que l'Eglise n'ayant receu cette lettre

lettre par la voie ordinaire, par la quelle elle a receu l'ecriture. C'est a dire, ne l'ayant receue, que par une voie purement humaine, fondée sur l'autorité des Archives de la ville d'Edesse, dans les quelles on a pu inserer, & non par de main en main depuis les Apotres, elle n'a point du la receuoir au rang des Ecritures canoniques. Ecclesia enim e. c. epistolam ad *Philemonem, Ioannis* &c. eadem plane ratione accepit.

§. XXVII.

Si quicquam est, quod facit ad corroboranda, quae suppeditauimus argumenta, ea certo sunt quae saeculo 4. & 5, rerum in Ecclesia gestarum referunt monumenta: eo enim erant vehementissimae Episcoporum contentiones de principatu. Quilibet plus iusto efferebat caput, aemulatione, atque ambitione adductus. Exemplo sunt rixae Antistitis Romani, Alexandrini, & Byzantini, de principatu, & potestatis terminis; item Antiocheni & Hierosolymitani. Omnes Episcopi omnia adiumenta adhibebant, quae quicquam facere poterant ad auctoritatem qua fulgebant, promouendam atque augendam. Iam vero, estne satis credibile, quod Edessenus Antistes, aliorum ad exemplum & genio saeculi conuenienter, non adhibuisset has literas si genuinae fuissent, ad amplificandam suam auctoritatem? apprime inseruire potuissent eiusmodi consilio, Hierosolymitani sane vestigia legisset Antistitis, qui saeculo hocce se subtrahebat imperio Episcopi Caesariensis, locum affectans inter primos Christianae ciuitatis Episcopos; nec optimo euentu destituta erant eius conamina, concilium enim Chalcedonense, honorem reliquit ei, quem sibi tribuerat; quia Ecclesia Hierosolymitana est Apostolica, & suffecta in locum veteris Ecclesiae iudaicae. Episcopus Edessenus autem non minus habuisset argumenta,

ta, quibus gloriam suam & honorem stabiliret: Edessena Ecclesia prima erat, inter gentiles; habebat, vt fertur, Epistolam Christi, quae caussam Episcopi iuuare potuisset: & patres non recusassent Episcopo honorem, qui inde ad illum redundare potuisset. Nihilo minus id non est factum, quod clarum reddit, hic fraudem latere posterioris seculi.

§. XXVIII.

Reliquum adhuc est, vt inquiramus in argumenta nonnulla, quae vulgo adferri solent ad defendendas hasce Epistolas. Prouocant igitur aduersarii nostri ad auctoritatem Eusebii, eaque efficere conantur quod volunt. *Caue* Hist. litt. sc. Eccles. pag. 2.

> Magnum apud me pondus habet summa Eusebii fides & auctoritas, qui has Epistolas ex ipsis Edessenorum tabulariis descripsit: & e sermone Syriaco in Graecum transtulit; & cum nec ipse facile falli potuerit, nec nobis fucum facere voluisse consendus erit. Vere de eo *Pearsonius* noster, Deus bone quantus iudex! Ego vero *Eusebium* tanta diligentia, tantoque iudicio in examinandis Christianorum monumentis primaeuae antiquitatis, in quibus traditionem Apostolicam contineri arbitratus est, vsum fuisse contendo, vt nemo vnquam de eius fide aut de scriptis, quae ille pro indubitatis habuit, postea dubitauerit.

Patrum autem, vt & Eusebii testimonium in rebus eiusmodi argumenti, tanti non est habendum, vt vulgo hic habetur. Critices cognitione parum tincti patres, exornandi alias omnibus laudibus, profecto non raro scripta supposita, genuina pronuntiare. *Hieronymus* refert Senecam in numerum scriptorum Ecclesiastic. ob litteras ad Paulum, quae tanquam ab eo scriptae circumferuntur. *Ruffinus* tribuit Apostolis ipsis symbolum Apostolicum, quod ita vocatur, quia doctrina ab Apostolis tradita in eo continetur. Vi-

deamus autem ipsum *Eusebium* nostrum; melioris notae certe non est: tribuit Iosepho locum illum, qui de Christo agit, licet plures notae falsitatis, suspicionis certe, in eo contineantur, adfertlo cum illum *Eusebius* in Hist. Eccles. L. 1. c. 9.

„Iis temporibus Iesus quidam fuit vir sapiens si tamen virum eum appellare fas est. Erat quippe admirabilium operum effector, doctorque eorum, qui veritatem lubenti animo amplectebantur. Multos ille ex Iudaeis sectatores sibi adiunxit. — cruci est adfixus — Tertio autem die viuus ac spirans discipulis apparuit, prouti diuini Prophetae de eo praedixerant.„

1) Licet nexus, quo inuenitur locus, prodat alium, quam Iosephum esse auctorem huius loci, statim enim sequitur; eodem tempore alio Iudaei mactati fuere infortunio.

2) Numne homo Iudaeus, cognoscit miracula Christi, confirmatque Christum esse a Prophetis praedictum? praesertim qui, vt Iosephus, nimium quantum studet beneuolentiae suae gentis? Nihilominus genuinum pronuntiat locum Eusebius. E. in rebus historicis fallebatur Eusebius. E. *Si maxime factum quoddam narrat Eusebius, quod spurium pronuntiant grauissima argumenta; non est, cur trepidantes & anxii eius legamus vestigia.*

§. XXIX.

Deinde, & Edesseni nunquam fuere plane alieni ab eiusmodi fallaciis: clarum illud reddit rerum ab Edessenis gestarum historia. Edesseni inde a longo tempore suae gloriae nimis cupidi, figmentis eam stabilire sunt conati: sequentes eos, qui existimabant singulare decus inde euenire vrbi, si magnus quidam vir inhabitauerit illam, aut condiderit. Fingebant ergo bene multa, de Abrahami commoratione Edessae, habebant etiam aedem Deo sacratam, nomine Abrahami. Hoc autem non vnicum est quo

anti-

antiquitatem suam commendare solebant Edesseni. Auctor est *Iulius Africanus*, cuius locum adfert *Beyer* pag. 6. Hist. Edessen. & Osrhoen. pastoritium Iacobi Patriarchae tabernaculum Edessae conseruatum fuisse; vsque ad tempora Antonini Romanorum Imperatoris: ἡ ποιμενικη σκηνη του Ιακωβ Εδεσσῃ σωζομενη κατα τους χρονους Αντωνινου βασιλεως, διεφθάρη κεραυνῳ, coelo tactum tandem periisse. Quilibet primo intuitu videt figmentum hoc esse Edessenorum, ideoque certum Edessenos fabulis nimis fuisse deditos, aliosque fallere parum sibi duxisse religioni. Num mirabitur ergo quisquam, si alia data occasione consuetudini suae conuenienter egere Edesseni? Ergo falli potuit Eusebius, si grandia Edessenorum de suis rebus praeconia sine examine, lubens & cupidus in historiae suae corpus admisit.

§. XXX.

Sed demus etiam, Eusebium caute agere; quicunque & paullo accuratius Eusebii testimonia considerat is statim videbit, eum ipsum aperte nihil affirmare de Epistola. Sane id fecit, quod alii saepe faciunt historici, qui rem narrant, quam plane reticere quaedam rationes non permittunt. Omnem rem tamen diiudicandam relinquunt lectoribus: simpliciter narrat, se inuenisse monumenta, quae fidem facerent, litterarum inter Christum & Abgarum fuisse commercium, & supponit, quae retulere monumenta, sese recte & sine fraude habere. Ergo hypotheticum tantummodo est Eusebii testimonium.

§. XXXI.

II. Aduersariorum secundum argumentum, desumptum est a testimonio *Ephraem Syri*, qui in Testamento suo, epistolae Christi sic facit mentionem (ex edit. *Gerardi Vossii*,) Et benedicta sit ciuitas vestra, atque mater *Edessa*, quae etiam

 palam

palam ex ore Domini benedicta est per discipulos eius, nostros autem Apostolos, quandoquidem rex Abgarus, qui eam exstruxit, dignum censuit, comiter compellare eum, qui peregrinus in terris apparuerat, Christum seruatorem & Dominum vniuersi, his vsus verbis: audiui omnia quae tu operaris quae ab aspernantibus Te Iudaeis passus es. Quocirca veni huc, & mecum habita. Est mihi parua haec ciuitas, quae tua pariter erit ac mea. Vnde admiratus Dominus fidem eius, missis nuntiis, ciuitati huic perpetuo duraturae benedixit, firmans eius fundamenta. Ista igitur benedictio iugiter in ipsa maneat, donec sanctus de coelis appareat Iesus Christus filius Dei, Deus ex Deo. V. *Grabe* in Sp. patrum pag. 2. Huncce locum ex Graeco quodam Manuscripto inedito desumpsit, & in latinum conuertit *Grabe*.

§. XXXII.

Nostram hic non facimus sententiam eorum e. g. *Frauendorff* dissert. de Christi Epist. ad Abgarum *Reiskii* de imag. Christi diss. *Tenzelius*, *Cocus*, qui existimant, in suppositis Scriptis esse numerandum hocce Testamentum. Nulla quidem ratione negari potest Testamentum ab Ephraemo Syro esse exaratum; disceptatur modo ab eruditis, num illud testamentum quod clarum nomine Ephraemi superest, sit illud quod Edessenorum Diaconus conscripsit. Supponamus igitur, quod volunt aduersarii; genuinum sit testamentum; nulla tamen ratione efficiet, quod volunt, hoc testimonium facere ad fidem epistolarum illarum faciendam. Locus ille Ephraemi, quem adiecimus, planum reddit atque certum, tantum ab eo referri opinionem vulgi, respicit simul ad benedictionem vrbis, quam Christus impertitus sit; fore vt salua maneat vrbs atque incolumis ab

omni

omni hostium insultu: quae benedictio, hic certe vulgaris sensus, euentu fuit destituta. Nam in Romanorum, aeque ac Persarum venit potestatem. Num ergo Ephraem tanquam iustus testis allegari potest?

Sunt praeterea qui id proferunt, dari MSctos libros, in quibus ne verbo quidem mentio fiat benedictionis vrbis. Ergo hoc clarum reddit, Testamentum Ephraimi & praesertim huncce locum esse corruptum. Quis ergo fidem habebit eiusmodi scripto? ostendant autem aduersarii nostri, si huncce locum contra opinionem nostram adhibere volunt,

1) quae de litteris Christi referuntur in Testamento, deberi Ephraimo.

2) Quae dixit, non deberi opinionibus Edessenorum, aut famae quippe quae est fallax, sed desumpta esse ex monumentis; quorum tandem testimonium sufficit ad profligandam, quam tuemur sententiam. *Procopius* enim iam suo tempore mentionem facit, de huius generis additamento, quod Epistolae iunctum diceretur, sicut hodie occurrit in testamento isto. Proiicit autem & spernit illud iste scriptor, quia in vetustis monumentis occurreret de tutelari epistolae genio nihil.

Fabulae crescunt eundo, num igitur mirum, si de Edessae benedictione a Christo facta bene multa referuntur, quae lubrico innituntur fundamento? Edessam obsidione cinxisse fertur Chosroes, vrbem autem per epistolam Christi quae portae incisa erat munitam, nulla ratione in suam redigere potuit potestatem, ita vt obsidionem soluere cogeretur. Hac de re certior factus Chosroes, ira atque indignatione inflammatus, consilia cepit de Edessa solo aequanda, belloque mouendo contra Deum Christianorum, qui saluam atque incolumem seruauerat vrbem. Mouebatur itaque Mars; non feliciori successu vrbis obsidio incipiebatur; Edesseni enim

tam egregie defendebant vrbem, vt desperans de felici armorum consiliique successu Chosroes, secunda vice solueret obsidionem. 2 Procop. de bello Pers. Quae ad liberandam vrbem fecit Christi imago, narrantur tomo 9. *Allgemeine Welthistorie* 619. p. conf. Nota 543. add. *Beyeri* hist. Osrhoen. p. 107. 242. & alibi, de vrbe hoc non capienda.

§. XXXIII.

III. Adfert *Grabe* pag. 2. Spicil. patrum: „Historiae huic suffragatur, quod circumstantiae eius, partim S. literis, partim aliis temporum istorum monumentis bene congruant. Fuisse tunc Edessae in Syria Regulum, Abgarum vulgo dictum, imo integram Abgarorum seriem ex Tacito, Herodiano aliisque Historicis cognosci posse. Famam autem miraculorum Christi aegros quoscunque sanantis, quam Abgarus in Epistola sua memorat, ipse Matthaeus confirmat Cap. 4. v. 14. Et abiit fama eius in totam Syriam, & obtulerunt ei male habentes „ — — Omnia haecce parum fortiter agunt caussam *Grabii*; prima pars obiectionis, diiudicari potest est iis quae §. XVIII. affuerunt; posterior autem pars ostendit tantummodo quandam possibilitatem, quae non sufficit ad rem affirmandam; testimoniis iustis opus est, quae desiderantur. Est enim nec hoc incredibile & absurdum, scripsisse Christum ad *Syriae* ipsum Romanum praesidem, ad quem res in *Iudaea* a Christo gestae, sine dubio prius peruenerunt, quam ad *Abgarum*; ideone licet id memoriae prodere, tanquam rem gestam?

§. XXXIV.

IV. Omnes reliqui fere historici, incertiorem reddidere suo testimonio rem omnem; quippe qui fabulis & figmentis nudis inquinare hancce historiam non destiterunt, & ne quidem patroni epistolarum Christi & Abgari eorum testimonia in vsus suos conuertere audent.

F I N I S.

ORNATISSIMO
DISSERTATIONIS HVIVS AVCTORI
S. P. D.
IOANN. SALOMO SEMLER.

Etsi his TIBI meis litteris parum opus esse scio, committere tamen non possum, vt sine iis ista TVA dissertatio e prelo exeat; praesertim, cum praeter eas ad illam TVAM scriptionem ego parum contulerim. Desumsisti istud argumentum ex *designatione*, quam nuper prodidi; TVO arbitratu & modo ea conscripsisti, quae siue ipse repereras, siue ex vtilioribus hanc ad caussam libris promere poteras. Nec turbare ego volui TVAS rationes, vt eo integrius esset atque incorruptius hoc testimonium, quod collocati a TE & temporis & fauoris patronorum ipse perhibere iubebaris. Atque ipse arbitror; TVAM TE caussam aequis & bonis arbitris facile probaturum; cum hic ibi rationem nouam sequaris in tractando isto argumento. Est autem celebratissima haec caussa, atque non solum a nostris hominibus, sed etiam a Romanis aliisque saepissime tractata, varioque adaptata consilio. Sunt vero, etsi celebres & auctoritate non carentes viri, pauci tamen, qui his epistolis aperte fauent, aut modo quodam diligenti & cauto studere videntur. Plerique omnes illas proiiciunt. Poteras, si verbositatem sequebaris, aut rariorum librorum consuetudinem mentiri volebas, longe maiori adparatu ad TVAM caussam vti. Videbar certe obseruare propositum tibi fuisse, colligere variantium lectionum, quae istas epistolas adhuc magis in suspicionem imposturae adducunt, numerum;

merum; atque optaram; vt
Haud dubie monuisses etiam
& alius exemplaris; deque ad
quod in codicibus graecis qui
lae adiunctum, quod *Valesius*,
ταυτα μεν ἔτως ἐγραψε — — κα
cinia cum *Eusebii* certo non
ueniatur: non sine omni rati
aduersus istarum epistolarum
iam per tempus non licet his
cto ipse opiner satis multa T
las, vt defendere eas tolerabi
possit. Nec TE iam publice
TENII & consuetudine olim &
sacrarum humanarumque litt
facile commendabilem. Inte
lectionum & *philosophicarum*,
WEBERI, S.V. MICHAELIS in
Prophetas, & *theologicarum* B
ticam, in *Hist. Eccles.* in *Hermen*
log. Mor. & *Polemicam*, atqu
iam eo animo, vt sciam, nec
& publica & priuata otii quas
quid remissurum. Igitur D
omnem TVAM mentem magis
strarum cognitione & imbua
nem adducat: vt vtilissimos
publica bonae mentis officina
feras. Dab. Halae d. X

ram ; vt ab isto instituto non abiisses.
es etiam de textu arabico & *Abulfaraii*,
deque additamento oppido inuenusto,
aecis quibusdam exstat, *Abgari* Episto-
Valesius, aliique recte reiecerunt : καὶ
– – καὶ αὐτῆς τὸν τρόπον. Quae la-
to non sit, nec in *Ruffini* versione in-
omni ratione noua & maior suspicio
tolarum originem suboriri possit. Sed
licet his me dare operam : & profe-
, multa TE dixisse contra istas episto-
s tolerabili ratione vsurus vix aliquis
publice laudabo, licet B. BAVMGAR-
ne olim & domicilio adhuc, & diligenti
nque litterarum studio atque amore,
m. Interfuisti certe studiosus auditor
bicarum, Excell. STIEBRIZII, MAIERI,
AELIS in Danielem, & nonnullos alios
icarum B. BAVMGARTENII in *Dogma-*
n *Hermeneuticam* ; & MEARVM in *theo-*
im, atque *Historiam Ecclesiae*. Es et-
am, nec iam TE a continua diligentia
otii quasi iam nascentis imagine, ali-
Igitur Deum me precari decet, vt
em magis magisque salubri rerum no-
& imbuat & ad sui veram consuetudi-
ilissimos olim fructus ex academia, ex
s officina, ad rem publicam certo re-
Halae d. XXII. Maii MDCCLIX.